DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO VIRGINIQVE DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. FEBRVARII,

M. CAROLO LE BRETON Doctore Medico moderatore.

895.

An ægrè parturienti sternutatoria?

MVLIEBRIS sexus maior est venustas, acrior omnis corporea voluptas, pari iure valetudo imbecillior, dirique in partu cruciatus: dum fœtus qui diu hæserat per transuersum vterum supinus, velut orbis in se se conuolutus, tandem indignatus materni commeatus paupertatem, nodos in placenta coeuntes calcibus distrahit, voluitur in faciem pronus per vias præuiâ vligine scatentes, & prodit nudus, suáque inuolucra secum educit. Ex modo sint obstetricis partes, vt aduenæ benigniùs excepto vmbilici funiculum obliget, & cædat: dein secundarum explorator Medicus enixæ animo securitatem redditum veniet. Priùs in ipso molimine iubet pudor abesse viros. Verum vbi concidit viribus parens, anhelitu crebro concussa, acerrimis ad lumbos doloribus diutiùs conflictata: Segnis ad egerendum vterus, aqueo humore dudum elapso effœtus, & scaber: fœtus imbecillus vel insolenti figurâ prodiens, vel extinctus; auspicatò aderit vir eiusmodi operum peritiâ notus. Si vterus hiscit viuum infantem priùs reductum in situm naturæ conuenientem, & secundas educat molli, & suspensa manu: mortuũ extrahat ἐμβρυοτομία. Foribus occlusis hæc agat quæ parturientis dolores leniunt, nixum iuuant, & genitalia claustra relaxant quâ poterit celeritate, non tamen præcipiti, neque ancipiti præsidio. Periculum accersiuit quisquis olim vteri & fœtus prolapsum molitus est vectibus, ὠκυτοκίων & ἐκβολίων iactatione, ex oscillis suspensione, saltu, arduo scalarum ascensu, abdominis compressione, & turbulentâ quauis corporis concussione: Ideo prohibessis inclamationem, neque vomitum, neque tussim, neque sternutationem concitaueris.

QVI fœtus & secundarum vitium incusat in difficili partu longinqua rimatur. Huc quidem, natura & casus suos errores conferunt, sed vna princeps causa est morbosum prægnantis ἀγγεῖον. Etsi vterus nobilissimo fungatur ciuium seruandorum munere, non tamen acri sensu pollet, excrementis colligendis vicissimque expurgandis obnoxius, vt rarioris texturæ panni, & spongiæ liquores auidiùs hauriunt absorbentque; sic mollior, & rarior muliebris corporis, præsertim vteri compages quamplurimis vasorum osculis exugit sanguinem, & si qua alia superfluit materies puerperiorum in sanis mulieribus æquali ἀνταποδόσει eruptura post partum. Hæc excrementorum ἄμπωτις si gestationis tempore impurior restagnat; vteri meatus, venas, & arterias obstruit. Ipsæ quoque membranæ arescentes situ & squallore marcescunt, fibræ intractabiles vix flectuntur, vix adducuntur, vel contrahuntur. Totus denique vterus explosâ raritate squallet, atque durescit, non hiscit, non distenditur, neque viribus naturæ cedit. Hinc ægriùs pariunt mulieres quæcumque vtero sunt sicco & calidiore, & quibus difficiliùs purgantur menses, otii & deliciarum amantes, adolescentulæ, effœtæ anus, graciles, proceræ, mammis depressis, & extenuatis, papillis pallescentibus; famem & sitim perpessæ; calidis, salsis & acribus cibis vsæ, quæ fœminas gerunt, quarum vterus cicatrice vel scirrho occalluit: quæ virgines mentiuntur subditis astringentibus, præsertim vbi enituntur lunâ senescente, æstate torridâ, & sæuiente aquilone. In his omnibus qualibet vehementi commotione corpus agitaueris, diuulsa acetabula effluxum dabunt humoribus citiùs quàm conueniat tantæ vteri scabritiei proluendæ, & subigendæ: & fortè sanguinis fluxum non facilè cohibendum excitabis, febremque accendes, quæ adauctâ siccitate longiores partui moras nectat.

ΠTAPMIKA ex acribus medicamentis conflari etiam plebeculæ notum est, quæ pulueres eo fine ex tabaco, pyrethro & pipere conficit. Nullum est acre & feruens pharmacum vel aroma graueolens, cui non insit ea vis sternutamentum concitandi, quæ terrestri fœce obsita segnis est, nisi naribus indatur, tum certè emicat cum vapor per narium vias oberrans particulam πταρμικὴ excutit tenuiorem odore quouis acriorem: ea verò rarescens atque vnà cum aëre obuio, in flatum sese soluens quoquo versum fusa cerebrum pulmonesque vehementissimè lacessit, dein vtrâq; parte summo nixu quod molestum est explodente, resilit subito impetu & excrementa capitis & thoracis liquefacta secum rapiens per nares erumpit. Non vacat periculo harum partium proritatio, præsertim cum sæuiente partus cruciatu sanguis & spiritus efferuescunt, hinc pulmones & præcordia fusis humoribus obruuntur, vel eorum & vteri venæ effræni motu non cessante disrumpuntur. Quæ tanti discriminis metum incutiunt, ab his ne puta parturientis nixum promoueri. sin verò puluis naribus exceptus & in halitum versus leui impetu septum transuersum perstringens sursum contendit, duplici expiratione nares & labra diduci cogit & nonnullis saliuam exprimit. At hiatus, oscitatio, anhelitus, & expuitio parturientibus noxia verè perhibentur: salutaria verò obstinatum silentium, æquali contentione facta spiritus cohibitio, quæ sensim ac molliter abdomen comprimit.

CAPVT æstuantium viscerum vapores in guttas cogens perennis fluxus inundaret, nisi in eo tubuli quamplures excauati essent, quibus superflua sensim ac leniter deponit, vix audet ars nostra humorem per eos ductus prolicere, ne leui momento impulsus ruptis obicibus præceps feratur. Ideo non nisi maturo iudicio propinantur apophlegmatismi in acutis morbis & in principiis frigidorum nunquam: ne turgentes & crudos humores commoueant. Inclinante malo & corpore priùs repurgato à sobriis tantùm admittuntur; his tamen seueris legibus non tenentur gargarismata quæuis. Cum rapida humoris acris fluxio repellenda est, sedanda inflammatio, vlcus abstergendum illico palatum, fauces, & vuula colluenda sunt. At capitis expurgandi gratiâ raro admodum & cautiùs adhibenda, quemadmodum masticatoria, ἔρρινα, πταρμικά. Horum omnium rarior est vsus nostris temporibus, postquam multiplici experientiâ deprehensum est, quàm inane quàm intutum esset hoc præsidii genus, quod etiam in apoplexia & epilepsia suspectum est, non tamen in caro & lethargo, quorum inuictus sopor quibusuis stimulis fodiendus est.

IMBECILLA est parturientis valetudo, & variis iactata casibus, quòd eius prægnantis corpus sanguine abundet impuriore, ideo πταρμικὰ naribus apposita vt strepitum inanem reddant non excluso fœtu, afflictas comminuunt vires, doloris acerbitatem augent: concepto incendio lochiorum refluxus & lethale tenaciùs hærentium secundarum discrimen impendet: quid si tam strenuè vterum vellicarent? num eius ceruicem fœtusque figuram distorqueant? fractâ coccyge, dimotis pubis & ilium ossibus, discerptam ab ano ad vterum cutem lacerent? Tantum exitium vt auertas sinus pudoris pinguedine vel oleo emolliendus est, aluus adstringenda nunquam etsi profluuio laboret: sin dura est & vterus non recluditur, paulò acrius enema vim excretricem proritabit non frustra, neque temerè purgatio in sentinam corporis humores deriuabit, quæ summa est artis gloria hoc in casu, & ad naturam proximè accedens, cuius impetu visa est aliquando mulier cui incolumi vterinus hydrops partu facili velut crisi solutus est; eo consilio è cubito sanguinem profundere non dubitem: qui priùs venis plus æquo distentis coercebatur liberiùs excurret, factóque ad locos confluxu cum fœtu resides menstruorum reliquiæ deuoluentur, cui rei etiam maximè conducet saphenam tundere, optimum afflictæ mulieris solatium, vt faciliùs enitatur, partúsque fœlicior ex voto procedat.

Non ergo ægrè parturienti sternutatoria.

~~342~~

Proponebat Lutetiæ GABRIEL DE BRIOVDE Aruernus, Schol. Archidiac. A·R·S·H· 1642.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Quintinus Theuenym.	*M. Iacobus Theuart.*	*M. Iacobus Cornuty.*
M. Carolus le Breton, Præses,	*M. Vrbanus Bodineau. Med. Reg.*	*M. Iacobus Cousinot.*
M. Claudius Perrault.	*M. Philibertus Morisset.*	*M Petrus Seguyn, Antiquior Scholæ Magister.*